

da tu fu uen uanis  
euph

a bel fuce dit

ten

tu uor spau


epi

lamore ceter

**P**rima ualde  
infantis cepit  
chorulac uigame

fumge  
auditu loquela







DE VOTIS  
BREVIS DIS  
CEPTATIO IOANNIS

COCHLÆI, CONTRA IMPV.  
gnationes Ioannis  
Caluini.

PSAL. CXV.

Vota mea reddam Domino, co-  
ram omni populo eius.

*Item.*

Vota mea Domino reddam, in  
conspectu omnis populi eius: In  
atrijs domus Domini, in medio  
tui Hierusalem.

*Anno*

---

*M. D. L.*



232774 I

REVEREN

DISSIMO ET AM-

PLISSIMO IN CHRISTO PATRI

ac Domino, D. N I C O L A O, Archiepiscopo

Gnesnensi, Primate Poloniæ, Legato na-

to, &c. Ioannes Cochlaus

S. P. D.



Euerendissime atq; Am-  
plissime Pater, Domine  
Clementissime. Etsi mul-  
tis iam annis pia & anxia  
fuerit sollicitudo mea, de

Amplissimo & Ordinatissimo Regno  
Poloniæ, ne forte vicino Lutherici fer-  
menti contagio, & pestifero Borealis  
uenti afflatu inficiatur, iuxta illud Hie- Hier. 1.  
remiæ uaticinium: Ab Aquilone pan-  
detur omne malum super omnes habi-  
tatores terræ. Attamen multo acrior  
cura incussa mihi fuit ex obitu Pijssimi

A ij &

## EPISTOLA

& Sapientissimi Regis SIGISMUNDI, cuius præclarissimas uirtutes, luculentissime descriptas, legi ex aliquot orationibus funebribus, in celeberrimo eius funere habitis: Per quas ille sapientissime in pace & omni prosperitate Regnū suū non modo fœlix et florens, uerum etiam tranquillum & ad auctum reddidit: Dum pium Dei cultum, quem à Parentibus acceperat, inuiolatum & nulla hæresi pollutum, conseruauit. Multi namq; pro indubitato habebant, post tanti Principis decessū, Religionis statum in Polonia mutatum iri. Sed infinita Dei bonitas & misericordia, meritorum p̄j & timorati Regis memor, talem dedit mentem filio, ut potius cupiat in religione paternis inniti uestigijs, quàm periculosas amplecti nouitates, probe sciens, non leuiter turbari ac periclitari Rempubli-  
cam, ubicunq; mutatur religio. Quanta ergo turbationē in Germania excitauerit mutata in plerisq; locis religio,  
magno



magno cum detrimento Reipub. totiusque sacri Rom. Imperij palam factum est. Quare Poloniæ Regno uehementer ex animo congratulor, quia habet adhuc in utroque statu, tam sæculari quam spirituali, tot grauissimos ac prudentissimos uiros, qui fortiter manu tenent ueterē Dei cultum, & Regem suum pijs & maturis adiuuant fideliter consilijs, ne permittat improbis & rerum nouarum cupidis, prouincias latissimi Regni nouis infici aut concuti circa cultum diuinum traditionibus. Itaque Amplissimæ Dignitati tuæ hunc suppliciter nuncupo libellum, uelut recens Antidotum, contra horrenda pestiferæ nouitatis dogmata: Quod, ut clementer æquo accipias animo, Amplissime pastor & Primas (Cui tot Milium animarum cura à Deo commissa est) humillime rogo & obsecro. Gaudeo enim me quoque Archiepiscopali tuæ cure, ut subditam ouiculam, commendatum & ordinario iure subiectū

A iij esse.

## EPISTOLA

esse: Quandoquidem & Episcopus  
meus reuerenter tuam agnoscit Iurisdic-  
tionem. Deus Opt. Max. faciat, ut in  
prisca religione & uero Dei cultu, sub  
umbra alarum tuarum, authoritate tua  
conseruatos, nos omnes summo Pasto-  
ri & Redemptori nostro intrepide pre-  
sentare queas, & secure dicere: Domi-  
ne quos dedisti mihi, non perdidi ex  
eis quenquam. Bene ualeat R. D. T.

Amplissime Pater, Domine Cle-  
mentissime. Ex Vratislauiā

Quarto Nonas Iunij.

M. D. L.

DE

# DE VOTIS

BREVIS DISCEPTA-

TIO IOANNIS COCHLÆI, CON-

tra impugnationes Ioannis  
Caluini.



D sex libros Doctis-  
simi uiri D. Contra-  
di Bruni De seditioni-  
bus , adieci Tres

Appendices, nuper in proximo,  
id est, Quadragesimali Mercatu <sup>Seditioſi</sup>  
Francofordienſi euulgatas, uelut <sup>Conatus</sup>  
particularia de ſeditioſis libris & <sup>Noui E-</sup>  
Concionibus exempla : A quo- <sup>wangelij.</sup>  
rum uenenis & periculis , uelut  
præſentiſſimis religionis & Rei-  
publicę exitijs, premonendos eſſe

A iij̄ putauī

putavi Catholicę Ecclesię filios,  
 Seditio-num uero Concitatores,  
 omnis morę impatientes, magno  
 cum impetu proruunt interim,  
 & sanguinarijs libris concioni-  
 busq; suis, seductos noui Euan-  
 gelij clamoribus populos urgent  
 & impellunt ad rebellandũ utriq;  
 potestati, quę hactenus eorum  
 furoribus clementer pepercit, ut  
 sine tumultu & sanguinis effusio-  
 ne ad pacem & concordiam redu-  
 ci possent misere seducti homi-  
 nes: Quos isti audacissime insa-  
 nis clamoribus & falsis promissis,  
 ad facinus sollicitant.

Quemadmodum fecerunt an-  
 tea eorum complices, qui miser-  
 rime seductos rusticos in cruentis-  
 simas seditiones compulerunt,  
 dum

dum insanissime clamarent, Totam Germaniam, Galliam & Ita- *Vide acta Lutheri. De anno 1525.*  
 liam in motu esse : Rusticos in Klegau, Hegau & nigra sylua esse in armis Trecenta milia, & numerum indies fieri maiorem ac maiorem. Audendum igitur esse, Non esse Rusticos, sed Deum ipsum, qui uellet Principum iniquitates uisitare. Plurimi quidem sunt hodie, qui sic ad malum currunt & festinant, ut effundant sanguinem per manifestas rebelliones pro nouo suo Euangelio, sub cuius pretextu omnem Ecclesiæ pacem fidemq; & Catholicam religionem inuertere ac turbare præsumunt. Sed unus ex ijs præcipue uult ceteris potentior eminentiorq; uideri, Ioannes CALVINUS. *Calui- nus.*

A V NVS.

N V S. Qui nuper uno impetu effudit in Francofordiæ Nundinis ad minimum Quinq; libros. Quorum unus omnium prolixissimus est, & superbissimum præ se fert titulum. In hæc sane uerba.

INSTITVTIO TOTIVS Christianæ Religionis, Nunc ex postrema Authoris recognitione, quibusdam locis auctior, infinitis uero castigatior.

Alter uero liber huic proximus, etsi libellus Caluini De uitandis superstitionibus inscribitur: reuera tamen De abolendis Catholicæ Ecclesiæ cultibus & Sacramentis tractat: Atq; in adiutorium sibi asciscit sententias Philippi Melanthonis, Martini Buceris & Petri

**P**etri Martyris : Quos cæteris contra Papam maioris putat esse authoritatis. Alij uero Tres eius libelli, etsi minus turgent in titulis & paginarum numeris, eiusdem tamen authoritatis esse cupiunt, in oppugnandis Ecclesiæ doctrinis & institutis : præsertim contra Italos, Gallos & Germanos.

*Papam (inquit in uno) Romanum, cum sua latronum cohorte, & Italos nominatim compello : non quia ad eos solos pertineat exemplum, sed quia mirabili Dei prouidentia hoc spectaculum eorum oculis propius fuerit admotum, quia nisi tragico mortu expergefieri nequeunt. Interea sci-  
ant & aliæ nationes, se à Domino*

*Verba Caluini contra Italos. Gallos et Germanos.*

*commo-*



*cōmonefieri. Huc mentes suas applicent ac sistant Galli nostri, qui leuitate sua supra nubes elati, ad prophana religionis ludibria plus iusto assuescunt. Huc iures arrigant Germani, qui in iudicijs Dei animaduertendis, ante hac tardi adeo & bebetes, nunc in extremis suis malis, humanum quoq; sensum uidentur exuisse. Discant etiam Angli & alij, quanta reuerentia & quā sollicitè illucescentem sibi Christum excipere debeant.*

**Hæc ibi in conficta cuiusdam miraculi descriptione de Francisco Spera. Vult enim omnibus persuasum esse, nunc tandem per suam nouę religionis institutionem**



nem recte illucescere hominibus Christum. Quare ueteris religionis instituta fere omnia reijcit, ut dicatur : Vetera transierunt, Ecce facta sunt omnia noua. 2. cor. 5.

Quod si qui trepidant, apertius contra Ecclesie fidē antiquam, nouam eius de Christo doctrinam profiteri, statim uocat eos Nicodemitas, quasi non ausint Christum palam confiteri. Quinimmo non ueretur eos uocare Pseudo Nicodemos, cum constet, Nicodemum quoque Christū post passionem fortiter confessum fuisse : licet antea propter metum Iudæorum uenerit ad eum nocte.

Ne uero nimis inuidiose arguere uideatur Calvinus eos, qui ueterem Ecclesie fidem & doctrinam

## DE VOTIS

nam palam reprobare ac detestari  
uel nolunt uel non audent : addu-  
cit aliorum uerba eiusdem senten-  
tiæ,

Verba  
Melan-  
thonis

*Idem dico (inquit Melanthon)  
de Laicis . Ea quæ norunt uere esse  
Idolorū cultus, fugiant. Iuxta illud :  
1. Cor. 10 Fugite Idola. Sunt autem manifesti  
cultus Idolorum, Inuocatio sancto-  
rum, qui ex hac uita discesserunt, In-  
uocatio ad certas statuas, Adora-  
tio panis in impijs Missis & in cir-  
cumgestatione.*

Alterum testem adducit Calui-  
nus Bucerum, qui Philippi sen-  
tentię in omnibus assentitur. Et  
addit etiam.

Verba  
Buceri.

*In confesso est nunc ( inquit )  
apud*

apud omnes rite doctos, fidem Christi in Missis esse manifestam Christi negationem, non solum propter uulgatam persuasionem sacrificij, sed etiam quod Christus ibi non prædicatur, Sacramentum pro eo adoratur, & quicquid in sancta coena instituit, peruertitur. Eadem admittuntur in pompis & cultibus Sacramentalibus, & reliquiarum, imaginum atq; statuarum. Fugienda igitur hæc sunt, detegenda & anathematizanda: Et homines ab illis reuocandi summo studio. Hæc ibi Bucerus.

Tertiū deinde adducit testem Petrum cognomine Martyrem, in hæc uerba,

Quæ

# DE VOTIS

*Verba  
Petri  
Martyris*

*Quæ à Dominis Philippo & Bucero scripta sunt, mihi quoq; probantur, istaque solummodo adscribo, ut potius magis explicem, quàm ut illorum consilio adijciam. In primis, qui Baptismum infantibus suis in Ecclesijs Papisticis petunt, aut in illis precibus intersunt vespertinis & matutinis: cum ista ibi non perficiantur sine mortuorum inuocatione aut suffragijs pro defunctis: ita amplecti in istis Dei & Christi instituta, ut vitia ipsi detestentur, non modo secum in animo, sed pro opportunitate oblata, verbis ea patefaciant. Ut uero Missa intersint, & prophanissima Cœna Papistarum, non debent adduci*

*exem.*

exemplo sanctorum Iudæorum ante Christi aduentum, qui ritibus & Cæremonijs Hierosolymis intererant, &c.

Mox itaq; in subiuncto ibi consilio suo, cōcludit ex ijs Calvinus.

Constituo igitur (inquit) nihil tanti esse, ut eius causa debeat homo Christianus se prophanare ullo inquinamento superstitionis, quo minuatur aut uioletur Dei cultus: Et si faciat, non posse excusari. Porro, cum in eo genere constituā Missas, mortuorum exequias, quales sunt in Papatu, Preces omnes solennes, ubi sancti mortui inuocantur: Qui me audiet, nunquam sibi permittet Missam audire, aut alijs eiusmodi

B polluti-

*pollutionibus interesse. Neq; sibi blanditur, quasi hoc liceat.*

Hæc breuiter ex Quatuor Caluini libellis nouissime æditis, & in proximo Francfordiæ Mercatu diuulgatis, recitata sint, ut ex eis Lector intelligat planius, quæ sit noua fides & intentio Caluini. Prolixior uero liber eius, qui inscribitur, Institutio totius Christianæ religionis, prolxiore & accuratiore indiget responsione.

Nec tamen intendo particularibus responsis totum confutare librum. Tum, quia nimium proluxus est & inaniter uerbosus, idemq; sepe repetit & iactanter inculcat: Tum, quia in plærisq; alijs libellis anno superiore erro-

res impiarum nouitatum, & calumniarū eius adinventiones confutauī: Tum etiā, quia pleraſq; eius hærefes, antea alijs libris, dum in complices eius Bullingerum, Musculum, Bucerum, Sturmiū, &c. ſcripſi, ſcripturis & rationibus ſatis aperte ( quod citra iactantiam dictum ſit ) reprobaui. Neq; conuenit ætati meę, uarijs ſeneſcē incommodis iam plus ſatis debilitatę: nouas cum obſtinato heretico (ubi nulla eſt ſpes reducendi eum ad unitatem Eccleſię) inire rixas, in longum contentionis funem extenſas. Attamen officio fraternę charitatis oſtendam ijs, qui nondum ſunt in malo penitus obſtinati, atq; in reprobū ſenſum traditi, quā

B-ñ multi



## DE VOTIS

multi sint errores superbissimi huius Blateronis, circa unius Capituli (quod non ita prolixum est in hoc eius libro, sicut sunt alia) declarationem in sua de uotis sententia.

Habet igitur hoc eius Capitulum (quod ordine Secundum est) particulas XXII. iuxta numeros ab ipso in margine assignatos: Ex quibus extrahant aliquot propositiones breuiter, ad quas operæ precium sit respondere.

Propositio-  
tiones  
Caluini

Quarum prima sane hanc continet sententiam.

XII.

I

Docuimus (inquit) primum, quicquid ad uitam pie sanctęque instituentiam



*dam desiderari potest, in lege esse comprehensum.*

**RESPONSIO.** Christus in Euangelio dicit breuiter : Non <sup>Matth. 5.</sup> ueni soluere legem, sed adimplere. Item, Ego ueni, ut uitam habe- <sup>Ioan. 10.</sup> ant, & abundantius habeant. Et Paulus ad Hebræos, Nihil ad per- <sup>Heb. 7.</sup> fectum adduxit lex. Idem ad Ro- <sup>Rom. 3.</sup> manos, Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Et ad Galatas, Si enim per le- <sup>Gal. 2.</sup> gem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Ex his scripturæ locis constat, Christū adimplesse quæ legi deerant. Et per eum habere nos uitā abundantius q̄ per legem. Multa em̄ salutaria docuit Christus, quæ in lege non erāt expressa.

B ij Docui-

**II** Docuimus rursus, Dominum, quo melius nos ab excogitandis nouis operibus auocaret, totam iustitiæ laudē in simplici uoluntatis suæ obedientia inclusisse.

**RE.** Nouum erat opus, quo Deo sacrificabat Abel de primogenitis gregis. Nouum item, quo Gen. 4. 8 Noe post diluuium ædificabat altare Domino, & obtulit holocausta super altare. 12. Noua item altaria, quæ Abraham sua sponte, non iussus, Deo edificauit, & inuocauit ibi nomen eius. Nec prohibuit nobis Deus nouis operibus, quæ non scripta sunt, honorare Maiestatem & nomen atque gloriā eius. Rectius igitur canit Ecclesia: Quantum potes, tantū aude, quia maior In prosa  
de corpo  
re Christi. omni

omni laude, nec laudare sufficis.

*Hæc si uera sunt, indicare promptum est, fictitios omnes cultus, quos nobis ipsi ad promerendū Deum comminiscimur, minime esse illi acceptos, quantumuis nobis arrideant.*

III

RE. Hæc est proprie tela muscarum Beelzebub, qua impius iste Araneus miseras animas, uelut muscas, capere & irretire conatur. Et quidem duobus retibus, quæ uelut laqueos uenantiū protendit in capturam animarū simplicium, quæ dolos Rhetorici & Sophistici artificij non prospiciunt nec animaduertunt. Sed hanc fallaciæ telam facile perrumpit, quisquis ad uidendum oculos per gratiam Dei habet & aperit. Pri-

Aranei tela.

B iiij mum

mū igitur falsitatis rete hoc est, quod insidiosus iste uenator fictitios uocat cultus, quicunq; in sacris literis non habentur expressi. Hinc uult latenter & fraudulenter inferre, quod omnes regulæ & Cæremoniæ Monachorū, sint fictitij cultus. Alterum rete nequitiosi huius uenatoris est, quod dicit, Omnes huiusmodi cultus non esse acceptos Deo, quantum uis nobis arrideant. Nos autem tam facile & iuste negamus utrunq;, quā temere & impudenter per proprii capitis figmentum, sine omni scriptura & ratione, utrūq; profertur. Innumeras namq; habet atq; obseruat Ecclesia Catholica, tam apud Græcos quā apud Latinos, in cultu diuino Cere-

nias

Cæremonie non scriptæ.

nias, quæ in sacris literis expresse non habentur. Neq; tamen fictitię dici debent, quia authorem habent spiritum ueritatis, qui iuxta promissionem Christi, ducit Ecclesiam in omnem ueritatē: Quas utiq; per tot sæcula Deus Ecclesię suę in continuo usu non permisisset, si tanquam fictitię & erroneę ei non fuissent acceptę. Sed rerū experientia per tot prospera sæcula priora docet, gratas Deo fuisse, & adhuc esse, ubicunq; rite seruantur: Misere uero turbari & confundi rixis & discordijs omnes ciuitates & prouincias, quęcunq; ueteres ritus abolent, & acceptant aut admittunt nouas hæreticorum adinventiones,

**IIII** *Et certe Dominus ipse multis locis non tantum aperte eos respuit, sed grauiter abominatur.*

**RE.** Magna certe impudentia est & temeritas, sine omni scripture autoritate, sic loqui, per mera mendacia, & proprii capitis cōmenta. Et ita secure pronunciare de multis locis, ubi Deus nō solum respuat, sed etiam abominetur tales cultus non scriptos: Cum ne unū quidem locū ostendat aut ostendere possit improbus Cauillator iste.

**V** *Hinc exoritur de uōtis dubitatio, quæ præter expressū Dei uerbū fiūt, quo loco sint habenda, an nuncupari rite possint ab hominibus Christianis, & quatenus eos obstringant.*

**RE.**

RE. Hęc dubitatio non exoritur <sup>Vota</sup> apud ueros Christianos, qui pro Deo  
be sciunt, ex q̃ plurimis utriusq̃ reddenda.  
Testamenti scripturis, Vota Deo  
rite nuncupari posse, etiamsi non  
sint scripta, & homines per uota  
Deo prestita & emissa, ad red-  
dendum obstrictos esse. Expresse  
enim dicit scriptura. Iste est ser- <sup>Nu. 30.</sup>  
mo, quem precepit Dominus: Si  
quis uirorū uotū Domino uoue-  
rit, aut se constrinxerit iuramēto,  
nō faciet irritū uerbū suū, sed om-  
ne quod promisit, implebit. Et in  
alio loco, Cum uotū (inquit) uo-  
ueris Domino Deo tuo, non tar- <sup>Deut. 23.</sup>  
dabis reddere, quia *requiret illud*  
Dominus Deus tuus: Etsi mora-  
tus fueris, reputabitur tibi in pec-  
catū. Si nolueris polliceri, absq̃  
peccato



## DE VOTIS

peccato eris : Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis & facies, sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria uoluntate & ore tuo locutus es.

Hæc Duo scripturæ loca, uniuersaliter de uotis siue scriptis siue non scriptis loquentia, quæ clarissima sunt, & nulla ratione reprehendi aut negari possunt à ueris Christianis : sufficiunt utiq; ac satis firma & ualida sunt ueritatis æternæ testimonia, non solum contra uanissima huius Caluini de uotis nugamenta, & proprii capitis figmenta : sed etiam contra omnem Apostatarū perfidiam, qua Deo uota & iuramenta præstita, irrita faciunt, certam habentes in æternū damnationē,  
quia



quia primam fidem (teste Paulo Apostolo ) irritam fecerunt; Miserrimi homines, odibiles & contemptibiles tam Deo quam hominibus. Quos & ipsemet Calvinus ore proprio hic protinus condemnat, dum ita subiungit. *Quod inter homines (inquit) dicitur promissio, id Dei respectu uotū appellatur. Hominibus autem pollicemur ea, quæ uel putamus illis fore grata, uel quæ ex officio debemus. Longe igitur maiorem in uotis obseruantiam esse decet, quæ ad ipsum Deum, cum quo maxime serio agendum, est diriguntur. Hec ipse Calvinus, qui miseris Apostatis id præmij hic reddit, quod seruo (ut dicitur) suo dare solet Lictor. Quo*  
&

1. Tim. 5.

& seipsum confundit, iuxta Apostoli sententiam, proprio iudicio  
 Tit. 1. condemnatus.

VI *Hic mirum in modum omnibus sæculis grassata est superstitio: Vt homines, sine iudicio, sine delectu, quicquid in mentem, uel etiam in buccam ueniret, Deo protinus uouerent.*

RE. Neq; hic ullum profertur scripturę testimoniũ, quo uel uota dicuntur superstitio, uel Deo uota emitui prohibeantur. Nos quidem uota temeraria, sine iudicio & delectu emissa, non probamus. Iuxta illud scripturę, Si quid uouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio: Sed quodcũq; uoueris, redde. Multoq; melius est

est, non uouere, quàm post uotum promissa non reddere. Hinc uetus & laudabilis in Ecclesia obseruatur apud Monasticos consuetudo, ut solennia professionis uota non fiant neq; admittantur, nisi peracto prius anno probationis. Calvinus autem superba & stulta presumptione solummodo dicit, & sine omni scriptura sibi uult mox credi.

Annua  
probatio  
nis in Mo  
nasterijs

*Hinc illæ ueterû ineptiæ, immo prodigiosæ absurditates apud Ethnicos, quibus nimis insolenter cum dijs suis luserunt. Atq; utinam hanc illorû audaciam non imitati essent etiam Christiani.*

VII

RE. Nos ineptias & absurditates uotorû, quæ falsis dijs nuncupauerunt

pauerunt Ethnici, minime appro-  
bamus. Scimus tamen longe ma-  
iorem fuisse apud eos uotorum  
obseruantiam, atq; etiam in trans-  
gressores uotorum & fractæ fi-  
dei poenam & seueritatem, quàm  
est hodie apud omnes Luthera-  
nos & Zuinglianos. Apud Eth-  
nicos quippe capitale ac summi  
supplicij crimen erat, Vestalem  
uitiasse uirginem : Apud sectas  
IIV uero nostri temporis, iocus &  
lusus atq; etiam honor est (sidijs  
placet) contra leges & Canones,  
quin etiam contra expressas utri-  
usq; Testamenti scripturas, sacras  
uiolare uirgines, quæ publice  
Deo suam uouerunt uirginitatē.  
Quis enim nescit, Lutherum &  
Bucerū in scelerato & impio hoc  
crimi-

crimine, cum scortis suis, sub falso coniugij prætextu, in mortē usq̃, sine pudore & uerecundia, obstinate & impune permansisse :

*Minime id quidem decuit : sed* **VIII**  
*uidemus, aliquot sæculis nihil fuisse*  
*hac improbitate usitatus, ut popu-*  
*lus, contempta passim Dei lege, uo-*  
*uendi quicquid per somniū arrisisset,*  
*insano studio totius flagraret.*

**RE.** Minime profecto decuit  
 unquam, tam manifesto scelere  
 homines uota sua, quæ Deo pu- vota frā  
 blice solenniter ac uoluntarie præ- gunt A-  
 stiterunt, contra diuina & huma- postate.  
 na iura contemnere, calcare ac ui-  
 olare : sicut iam ultra triginta an-  
 nos (proh dolor) ab utriusq̃ sex-

xus Apostatis impune factum est. Certe per nullā scripturā probat aut probare potest Calvinus, aut ullus Apostata, quod prohibitum aut illicitum sit ulli hominū, Deo religiose in honorem aliquid uovere. At seuerissime prohibitum est, uota Deo præstita & semel emissā, calcare ac frangere. Ita enim habetur apertis uerbis in receptissimis sacrę scripturę locis:

*Num. 30.* Vir (inquit) non faciet irritū uerbum suū, sed omne quod promissit implebit. Item, *Deut. 23.* Cum uotū uoueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requireret illud Dominus Deus tuus, &c.

## IX

*Nolo odiose exaggerare, nec sigillatim recensere, quā grauer & quot modis hic peccatum sit; Sed hoc obiter*

*obiter dicere uisum est, quo melius  
appareat, nos nequaquam de re su-  
peruacua quæstionē instituere, cum  
de uotis tractamus.*

**RE.** Nos quidem non solum ex  
certis diuinę scripturę testimo-  
nijs, sed etiam ex innumeris san-  
ctorū patrū irrefragabilibus di-  
ctis, & ex rerū gestarum probatis  
historijs, recensere & probare  
possumus, quā grauit̃ & quot  
modis peccent impij & perfidi  
Apostatę, qui uota transgrediun- **Nu. 23**  
tur, & fidem Deo infallibili fal-  
lunt, ac publice mentiuntur ei, qui  
mentiri non potest. Calvinus aut̃  
nequaquā ullis scripturis aut Pa-  
trū testimonijs probare poterit,  
quod Deo uouere non liceat.

**C** ij **Ecce**



## DE VOTIS

Ecce quot mendacijs, temere & impudenter prolatis, circa primum huius Capituli numerum, conuincitur errasse Calvinus, qui audacissima impudentia, sine omni scriptura, immo contra certissimas scripturas, de uotis ex proprijs commentis tractare non ueretur. Quid igitur deinceps ei secure credi poterit? Breuius igitur ad reliquas eius nugacissimas & impudentissimas nugas respondebo.

**X** *Primum eo spectat, ut cogitemus, nobis cum Deo esse negociũ : Quem adeo delectat nostra obedientia, ut*  
*ἐθελοθεσκκεας omnes, quamlibet in oculis hominum speciosæ sint ac splendide, maledictas esse pronunciet.*

**RE.**



RE. Hæc sententia reprobata est supra Quarto loco. Hic uero uerbose repetitur cum Græcæ uocis adiectione, quæ interpretatur latine superstition, seu uoluntarius cultus. Quando autem probabit Calvinus, Vota Deo uero facta, esse superstitiones? Et ubi pronunciat ea Deus esse maledicta? Quid ergo aliud hic affert nouus iste Christianæ religionis institutor, nisi mera mendacia proprii figmenti, sine scripturis conficta?

*Si uoluntarij omnes cultus, quos ipsi sine mandato excogitamus, Deo sunt abominabiles: sequitur, nullum ei acceptum esse posse, nisi qui eius uerbo approbetur.*

RE. Quid mirum, si ex falso

C in Ante-

XI

Antecedēte sequitur falsum Con-  
 sequens? Probauimus autem su-  
 pra secundo loco, ex tribus scri-  
 pturæ locis, De Abel, Noe &  
 Abraham, Deo gratū et acceptū  
 fuisse eorum cultum, licet uerbo  
 Dei iussus seu exactus aut appro-  
 batus non fuisset. Hoc idem & de  
 uotis Iacob Patriarchæ, David  
 Regis, & Rechabitarū apud Hie-  
 remiam affirmare licet. Breuiter  
 de sponte uouentibus multa ex-  
 tant scripturę testimonia, contra  
 quę docet ac decipit Caluinus im-  
 pudētissime sine omni scriptura.

Gene. 28

Psalm. 115.

Hierc. 35

Leuit. 7.

Esai. 19.

**XII** *Ergo ne tantum licentiæ nobis  
 sumamus, ut audeamus Deo uoue-  
 re, quod nullum testimonium habeat,  
 qualiter ab ipso æstimetur.*

**RE.**

RE. Cuculus iste uerbose eandem repetit sententiā, quam nullis scripturis probat aut asserit. Nos ergo scripturas potius legis & Prophetarum attendimus & sequimur: In quibus uota Deo facta commendantur, & reddi iubentur, absq; confictis huiusmodi conditionibus.

*Nam quod Paulus docet, pec- XIII  
catum esse, quicquid fit absq; fide,  
cum ad actiones quaslibet extendatur: tunc certe præcipue locum habet, ubi cogitationem tuam recta in Deum dirigis. Siquidem nihil magis serium esse nobis decet religionis officijs.*

RE. Vnam tandem affert Calvinus hic scripturam, sed male de-

C iij tortam

tortam ac sensu peruerso deprauatam, ut quicquid absque uera & recta fide fiat, peccatū sit: Cum ex uarijs scripturæ locis constet, pleraq; Gentilium opera Deo accepta fuisse, ueluti opera. obstetricum in Ægypto, opera Nini-  
 Exod. 1. uitarū, poenitentia Regis Achab,  
 Ionæ 3. &c. Aperte enim ait de eo ad Heliam Dominus: Nonne uidisti humiliatū Achab coram me: Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducā malum in diebus eius. Paulus igitur ibi, secundum probatissimos Ecclesiæ Doctores, loquitur de conscientia, ut nihil agamus contra conscientiam. Ceterum hæc Caluini de uotis sententia, neminē grauius tangit & percutit, quàm ipsius Apostatas, qui  
 in

in uotis suis Deo factis, nihil serio agunt, sed pro ioco habent, uota uiolare, cum inexpiabili perfidia, sine pœnitentia.

*Sit igitur hæc prima in uotis cautio, ut nunquam ad aliquid uouendū descendamus, quin certo prius conscientia constituerit, se nihil temere tentare. Tunc autem à temeritatis periculo tuta erit, cum Deum sibi habebit præeuntem, & quasi ex uerbo suo dictantem, quid factu bonum sit uel inutile.*

**R E.** Hoc quoque præceptum neminem magis arguit quàm Apostatas, qui turpissima temeritate sunt uotifragi, ex falsis doctrinis Lutheri, Zuinglii, Bullingeri & Caluini, &c. Quibus eis persua-

sum est, contra scripturę ueritatem, uota Deo facta non esse seruanda. Deus quidem per Euangelica consilia fideliter eis preit, sed ipsi infideliter & perfide sequuntur. Ecce nunc secundum huius Capituli numerum, certis responsionibus transcurri. Et fateor ingenuę, me tēdio nugacissime loquacitatis uictū, ad reliquos XX huius Capituli numeros particulariter respondere uelle: Bene sperans, æquum lectorem condonaturum fractę laboribus & infirmitatibus ætati meę, & non exacturum aut petiturū esse, ut amplius tam moleste tēdio conficiar frustra, cum nulla uideatur esse spes de conuertendis obstinatis in malo Apostatis, qui omnia studia

dia

dia nostra derident, contemnunt  
 & calumniantur, iuxta illud Sapi- Pro. 18.  
 entis, Impius, cum in profundum  
 uenerit peccatorū, contēnit. Item,  
 Vbi auditus non est, non effundas Eccli. 34.  
 sermonem.

Ne quis tamen suspicetur aut  
 putet, tam acuta & subtilia atq;  
 profunda uideri mihi huiusmodi  
 deuotis Caluini dogmata, ut de-  
 sperem particulariter ad singula  
 responderi posse: In genere om-  
 nia breuiter percurram, & qualia  
 sint ostendam, ut sciat pius et cor-  
 datus Lector, quid eis tribuen-  
 dum sit. Primum igitur præ-  
 tendit, uota esse contra libertatē, Falsus li-  
 bertatis  
 prætex-  
 tus.  
 qua nos Christus donauit, & ad-  
 ducit Decretum ex Aura sua, non  
 Concilio, Nihil Deo uouerī de-  
 bere,



bere, nisi quod de manu eius acceperimus. Quasi uero uoueatur aliquid Deo, quod de manu eius non acceperimus. Quid aut habes

1. Cor. 4. ( inquit Apostolus ) quod non accepisti ? Quæ uero scriptura probat aut asserit, Deo uouere, esse cōtra libertatē. At in Euange-

1041. 8. lio ait ipse Dominus: Si uos filius liberauerit, uere liberi eritis. Et

Rom. 6. Apostolus eius Paulus, Libera- ti a peccato, serui facti estis Deo.

1. Cor. 7. Item, Qui in Domino uocatus est seruus, libertus est Domini. Seruire igitur uotis Deo, regnare po- tius est ( ut ait Ecclesia ) quàm seruire. Talis fuit seruus Christi Pau-

1. Cor. 9. lus, qui cum liber esset ex omni- bus, omnium se seruum fecit, ut plures lucrifaceret. Apostatę au-

tem

tem econtra, cum per uota paupertatis, continentiae & obedientiae uere liberi essent spiritu, ad seruandum Deo, per spontaneam uotorum transgressionem facti sunt miseri serui carnis & peccati. Dolosus est igitur pretextus libertatis ad deferenda uota Deo facta: Quia requireret ea Dominus, sicut *Deus. 23.* in lege praedixit. Deinde prolixo commento sui capitis praescribit sine scripturis Calvinus, quae possint esse uota licita: Quae tamen sic licita facit, ut libera interim relinquat. Quasi liceat cum Deo iocari pro libitu, & fidem fallere: Cum Paulus in damnationem re- *1. Tim. 5* putet, primam fidem irritam facere. Et docet interim ipse quoque Calvinus, cum Deo in uotis maxime

xime serio agendum esse. Item,  
 Et si auctoritatem præcipiendi &  
 prohibendi super uotis ultro sibi  
 sumit & arrogat : consulit tamen,  
 & pro ficta modestia sua præcipe-  
 re non audet, de numero et tēpore  
 uotorū. Vult igitur, ut tēporaria  
 solummodo suscipiantur uota, ne  
 quis perpetuo se obstringat uoto,  
 quod cū magno molestia tēdioq;  
 soluat, aut diuturnitate fatigatus  
 uiolare ausit. At hæc omnia sine  
 scripturis & patribus, ex proprio  
 capite impudēter fingit ac statuit.  
 Et consimili ausu atq; impudentia,  
 sine omni probatione pronūciat,  
 quanta superstitione in hac parte  
 laborauerit mundus aliquot sæcu-  
 lis : Dum alius abstemium se fore  
 uoueret, alius ieiunio, alius carnis  
 absti-

abſtinentiæ ſe aſtringeret, alij uo-  
 tiuas peregrinationes ad ſanctio-  
 ra loca ſuſciperent, ac interdum  
 uel pedibus iter conficerent, &c.  
 At ubi ſunt hæc in ſcripturis pro-  
 hibita? Quis dedit Caluino autho-  
 ritatē prohibendī uota, tot ſæculis  
 rite & pie obſeruata? An non ſunt  
 clariſ ſcripturis et ſanctorū patrū  
 exēplis approbata? Vt uero ma-  
 ior adhuc ſit & appareat eius auda-  
 cia, uerboſiſſima prolixitate, ſine  
 ſcripturis, aggreditur et impug-  
 nat uota Monastica, que maiori  
 (ut ipſemet dicit) in ueneratione  
 habentur, & uidentur publico Ec-  
 cleſiæ iudicio approbata. Quid  
 uero cōtra ea proferat ipſe, homo  
 priuatus, exul, proſcriptus & in-  
 famis atq; hereticus et aperte ſedi-  
 tioſus?

*Impudens  
 audacia  
 contra ue-  
 ta Mono-  
 ſtica*

tiosus? Quando erubescet, qui sic absq; scripturis & rationibus, cō-  
 tradicere audet toti Ecclesie, super  
 be contempta tot sæculorum præ-  
 scriptione ac pia consuetudine?  
 Certe approbata sunt huiusmodi  
 uota omnibus legibus diuinis &  
 humanis, innumeris sanctorū pa-  
 trum libris & sermonibus, infini-  
 tis Conciliorū Decretis, maximo-  
 rum ac probatissimorum legum Ca-  
 nonumq; Interpretū scriptis acu-  
 tissimis: Theologorum præterea  
 profundissimis argumentis & ra-  
 tionibus, tum super Magistrum  
 sententiarū, tum contra religionū  
 impugnatores uarios, per elabo-  
 ratissimos tractatus, eos præser-  
 tim, quos Diuus Thomas Aqui-  
 nas ædidiit. Quid contra hæc om-  
 nia

In Decre-  
 tis & in  
 Decreta-  
 libus. In  
 Magist.  
 sentē. lib.  
 4. dist. 38  
 in S Tho.  
 22. quæst  
 88. &  
 In Opus-  
 cul. 17. 18  
 19.

nia profert Calvinus, nisi superbissimum proprii capitis figmentum: Cui confidit, & gratiã apud Lectores quærit, ex elegantiori sermonis & styli artificio linguarumq; peritia? Non ignorat quidem, q̃pius ac diligens Regularum Monasticę uitę institutor fuerit S. Augustinus: tam ferreę *Augustinus.* tamen frontis est, ut non uereatur uerbosissima nugacitate colligere ex Epistolis Augustini, & uno eius libro, de opere Monachorũ, quedam loca, quę sinistro intellectu maligne detorquet in omnes nostri temporis Ordines Monachorum. Quę aut in laudem Monachorum adducit Augustinus contra Manicheorum simulatam sanctitatem, cum reprobare non  
D possit,



## DE VOTIS

*Votum  
castitatis.*

possit, ait ad Monachos nostri temporis non pertinere. Tanta uero malignitate & maledicentia debacchatur in omnē statū Monachorum, ut non pudeat eum in eos effutire omne genus conuicti-  
orū & calumniarū per impuden-  
tissima mendacia, quæ mala mens  
& implacabilis animus ex inuete-  
rato odio, sine omni pudore, ex-  
cogitare potuit: Vt pudor etiā sit  
bonis, eiusmodi eius uerba hone-  
stis & castis auribus recitare. Ad  
locos uero scripturę, quibus uota  
probantur & commendantur, ex-  
traneas, falsas & peruersas pro-  
lixa uerbositate, ex coloratis Rhe-  
toricę nugis affert expositiones,  
ut in alienū & peruersum sensum  
detorqueat, Verbi gratia, De uo-  
to



to Celibatus sacrarum uirginum ait Apostolus. De uirginibus preceptum Domini non habeo : consilium aut do, tanq̃ misericordiã cõsequutus à Deo, ut sim fidelis. 1. Cor. 7.  
Caluinus uero ait.

*Multo minus tolerabile est, quod miseræ puellæ, antequam uel per ætatem se nosse potuerint, uel ullum sui experimentũ capere, ut in illos maledictos laqueos se induant, non tantum fraude inducuntur, sed ui aut minis compelluntur. Et infra : Quã aũt impossibile sit uotũ cõtinentiæ ijs, qui singulari dono præditi non sunt, antea docuimus. Et experientia, me tacente, loquitur. Neq̃ enim est ignotum, quanta obscœnitate scateant omnia fere Monasteria. Et si qua*  
D ñ uiden.

*Calumnia impudica.*

## DE VOTIS

uidentur honestiora, magisq; uerecunda esse alijs, non ideo tamen casta sunt, quod impudicitiae malum intus premunt ac continent. Ita scilicet horrendis exemplis, hominum audaciam ulciscitur Deus, cum suae infirmitatis immemores, repugnante natura, id affectant, quod est illis denegatum.

Hæc & id genus plura contra perpetuam uirginitatem Deo uouendam Calvinus, sine scripturis & exemplis, ac sanctorum patrum sententijs, contra totius mundi consuetudinẽ, ex proprio sensu & figmẽto: Quemadmodum & ante eum fecit Lutherus. Nunc igitur iudicet pius & equus Lector, an dignum & iustum sit, plus credere

*Ecclesiæ  
potius, q̃  
Caluino  
credendũ  
est.*

dere uni huic nugoni: Qui tam temere ac superbe ex proprijs loquitur ac statuit, sine scripturis & rationibus, De omnibus uotis, Deo factis & emissis, non solum publice & solenniter, sed etiã priuatim, pro diuersa cuiuslibet deuotione ac necessitate: An uero permanendum potius sit in ueteri traditione & obseruatione sanctę <sup>Ioan. 14.</sup> Matris Ecclesię, cui spiritum ueritatis misit Deus, ut cum ea sit in æternum: Quam & Apostolus <sup>1. Tim. 3.</sup> non mendaciter aut temere uocat Columnã & basim ueritatis: Cui & omnes sancti Patres consonant & astipulantur, Græci & Latini, Cyprianus, Athanasius, Basilus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Et quis non? Cui & leges  
D iij publicę,

publicę, tam diuinę q̃ humanę, in  
 utroq̃ Testamento & iure assen-  
 sum præbent et authoritatē. Quid  
 obsecro superbius aut confiden-  
 tius a quoquam præsumi queat, q̃  
 ut æquum censeat, sibi soli plus  
 credendum esse, propter cōptum  
 dicendi & scribendi stylum, aut  
 propter ingeniosas Rhetoricarū  
 technarum adinventiones, & ne-  
 quiter coloratas excusationes in  
 peccatis? Deus profecto non re-  
 linquet hoc grande malum & au-  
 dax facinus, impunitum aut inul-  
 tum abire, ut ait Iob pater anti-  
 quisimus. In hac enim nimia su-  
 perbia confidentiāq̃ & abusione  
 sua, persimilis est illi, qui apud  
 Esaiā Prophetā dicit in corde suo.  
 In cœlum cōscendam, super astra  
 Dei

Iob 24.

Esai. 14.

Dei exaltabo solium meum : Se-  
debo in monte Testamenti, in la-  
teribus Aquilonis. Ascendā super  
altitudinem nubium , similis ero  
altissimo. Veruntamē in infernū  
detraheris in profundum lacī :  
Qui te uiderint, ad te inclinabun-  
tur , teq; prospicient , Nunquid  
iste est uir , qui turbauit terram :  
qui concussit regna : qui posuit  
orbem desertum , & urbes eius  
destruxit : Abutitur nunc nimia  
Regum & Principum clementia,  
& contemnit illam Sapientissimi  
admonitionem: Ne innitatur pru-  
dentiaē suæ , aut sapiens sit apud  
semetipsum : Neq; cum detracto-  
ribus , Dominum contemnens &  
Regem , commisceatur. Quoniā  
repente consurget ( inquit ) per-  
ditio

ditio eorum, & ruinam utriusque  
 quis nouit? Quae enim ratione aut  
 honestate perferre poterunt Mo-  
 narchæ & Principes Christiani,  
 ut per insanas calumnias & impu-  
 dentissimas criminationes Apo-  
 statarum, & manifeste rebellium  
 hereticorum: Qui (non solum contra  
 summum Pontificem & contra  
 omnium Conciliorum Decreta, &  
 iuris Canonici sanctiones: sed etiã  
 contra leges publicas) audacissime  
 attentant, exterminare omnem  
 statum Monasticæ uitæ: quæ ad  
 cultum Dei principaliter, ab initio  
 Ecclesiæ, uelut sacratori & perfe-  
 ctiori uiuendi modo per gratiam  
 Dei prædita, per tot sæcula, etiam  
 sub Ethnicis Regibus & Principi-  
 bus, salua & inuiolata permanfit:

nunc

vide Di-  
 onysium.  
 Euseb.  
 Philonē.

nunc tandem, ad delendas ex hominū memoria fœdas Apostasiæ maculas, summo cum dedecore & Ecclesiæ detrimēto aboleatur, ut libere possint tam Monachi q̃ Moniales, calcatis omnibus uotis, nubere, & extincto omni deuotionis spiritu, contra omnē honestatē & obedientiā, secundum carnē uiuere pro libitu suo? Quæ obsecro poterit esse Principum Christiani nominis uel gloria apud homines, uel excusatio apud Deum, si sua conniuentia & irreligiosa dissimulatione permittāt, ut liceat Apostatis per tam aperta Rhetoricę loquacitatis mendacia, abolere ex tota Ecclesia p̃sissimos antiquæ deuotionis cultus & Ceremonias, Missas, septem Sacra-

*Quid agitur in Ecclesijs hæreticorū huius temporis.*

D      v      menta,



mêta, Memorias et uenerationes  
sanctorum, Exequias & suffragia  
pro defunctis: Horas Canonicas,  
festa, ieiunia, peregrinationes, uo-  
ta quælibet: Atq; in omnibus Ec-  
clesijs nihil aliud agere, quàm  
odiosas conciones contra clerū &  
omnem ueterem Ecclesiæ ritum,  
uel dicere loquaciter, uel audire  
cum scandalo? Quid enim disci-  
plinæ aut religionis in omni po-  
pulo, maxime in tota iuuentute,  
superesse cernitur, ubicunq; ad-  
mittuntur aut prædominari sinun-  
tur exleges & seditiosi Apostatæ?  
Quantum, quæso, impietatum &  
scandalorum, impune protulit  
uarijs libris unus iste Calvinus  
intra paucos post obitū Lutheri  
annos? Quem enim reueritus est,  
aut

*Iniuriosa  
scripta  
Caluini.*

aut cui detulit : Certe iniuriosissime scripsit, & quidē creberrime, in summum Pontificem, in Ecclesiam Ro. in Sedem Apostolicam; cui per tot retro sæcula sacrosancta semper authoritas extitit. Nec ueritus est, proluxa loquacitate criminari & reprobare Decreta generalis Concilij Tridentini : Nec erubuit seditiose multa scribere in pacificam Cæsaris Ordinationē. Quam maligne uero et imple scripserit contra sacras reliquias & omnem uenerationem sanctorū, ego anno superiore breui declarauī libello. At generaliter contra omnem religionē antiquam, per multa scripsit capitula, in prolixo nouę suę Institutionis (quā Christianam uocat) opere, cuius unicū

cum Capitulum, quod cæteris breuius est, hoc breui libello ex parte discussi, ut inde pius Lector intelligat, quàm friuola & inepta sint eius fundamenta, quibus omnia uota subruere tam stulte quàm superbe confidit, ut nullus in toto mundo remaneat usquam Monachus aut Monialis. Proinde

*Novi A-  
postoli  
Caluini.*

per uicinas Sabaudix ciuitates suos novos emittit Apostolos, haud secus, atque fecit ante aliquot annos nouus Rex Monasteriensium in Vuestphalia. Viderint igitur Principes & Monarchæ nostri, quo tandem eius progredietur audacia. Ipse quidem occupat nunc Geneuam (quam nos Gebennam dicimus) amplam & ueterem Allobrogum ciuitatē: suos compli-

complices & fratres coniuratos, in proximas subornat & emittit ciuitates, alium ad Lausanensis, alium ad Nouocomenses (ut iactitat ipse) alium alio, per Italiam & Galliam, ut merito timendum sit, ne propediem instructis occulte per Apostatas & Apostolos suos populis, ac noua doctrina in fide recta subuersis, animisque ad rebellionem seditiose concitatis, Catilinaria coniuratione & audacia, res nouas latius quærat & attentet, quam Rex Monasteriensium fecisse perhibetur.


Ego quidem pro corpusculo meo infirmo, & senio iampridem confecto, ab eius ui & impotentia mihi non timeo: Nec dubito de fidelissimis Christi promissis, Matt. 28  
pro

# DE VOTIS

pro defendenda & usq; ad consummationem sæculi conseruanda Ecclesia : Principibus tamen & omni in ordinata Republica statui ab imminentibus timeo seditionibus. Nam & Melanthon publice improperat Flacio Illyrico, quod ille doceat Magdaburgenses & quoslibet Lutherici Evangelij populos, metu seditionum terrendos esse Principes. Hæc mihi in Calvinum per biennium iam scribendi præcipua causa est : Priuatim uero nihil aduersus eum mihi odij aut negotij est. Deus faciat, quod iustissimæ uoluntati & infallibili iudicio suo uisum fuerit.





*Excusum Moguntia, in officina  
Francisci Behem Typographi,  
Mense Iunio. M D L.*











**B**